



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

5 Cuius virtutis actus sit votum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

tanda vita factam, habuisse vim voti simplicis. Dupliciter enim habitus suscipiebatur. Primo, Animo experiundi; & tunc liberè poterat resilire. Secundo, Non animo experiundi, sed perpetuo manendi; & tunc censebatur se tacite obstringere saltem voto simplici, tale enim votum isti susceptioni habitus erat annexum: unde non poterat redire ad faculum, sed tenebatur regulariter vivere; ita tamen ut posset transire ad regulam laxiorrem, ut colligunt ex cap. Consulti. Postea tamen ille mos est abolitus, & Canones utrisque usque ad professionem liberum esse voluerunt, nisi votum exprellum interuenisset; ut patet cap. Litteraturam. 3. de Voto. & cap. Qui post votum. 5. eodem, in 6. Habiuit id vim voti simplicis tantum, non autem professionis, vi plurimi DD. Canonum tenuere, docet egregie Panor. in d. cap. Consulti. 22. de Regulari. numer. 3. citans pro eadem sententia Cardinalem Zabarell.

Inconstans-

Ad Secundum Respondeo, Est aliquam inconstitiam, si absque villa causa, sola animi levitate propositum mutet; sed hac inconstitiam non est nisi venialis. Si autem aliqua ratione nitaris, ut quia fensis incommoda, &c. non est propriè inconstitiam, nec illum peccatum: nemo enim tenetur persistere in bono, quantumvis illud magnum sit, ex solo proposito; sed ut teneatur, debet aliunde ad illud esse addstrictus; v.g. precepto, promissione, contractu. vide infra libro 3. cap. 6. dub. 6.

Ad Tertium, Ex eodem illo cap. colligi potest, illud propositum in Novitio non habere vim professionis; quia distinguitur à professione tacita & expressa; sic enim ait Pontifex: *Beneficium Novitii intra annum probationis non esse alteri conferendum, nisi ipsius accedit assensio, aut constet quod vitam voluntate absonte mutare, vel professionem expressam fecerit, vel scienter habitum reperit professorum.* Vide dico cum Panormitanò in c. Litteraturam, ibi agi de proposito, quod voto simplici firmatum est, vel cum susceptione habitus habet vim voti simplicis, ut dictum est. qui enim cum tali proposito habitum suscipit, cum tacito voto se obstringat, videtur beneficio renunciare: & ita permittit Pontifex ut alteri conferatur.

Mutatio-
boni pro-
positi.

Obiici etiam potest cap. 4. Qui bona. 17. qu. 1. vbi dicitur, *Qui bona agunt, si meliora agere delibera-*

rant, & post deliberatione non faciunt; licet in bonis priuibus perseverent, in conspicuā tamen Dei ceci-

derant ex deliberatione.

Respondeo, Inde non sequi, propositum melioris boni habere vim voti, sed ut summum inducere aliquam obligationem, et si non grauem: non enim quia propositum deserit, idcirco dicitur cadere coram oculis Dei, quod peccat mortiferè, nam etiam qui venialiter peccat, cadere dicitur, iuxta illud, *Sepies in die cadit iustus: &, Iustus si ceciderit, non collidetur.* Addo etiam, dici cadere vel retrocedere (de quo ibi proprie agitur) qui perfectiora exercitia deserit, quamuis id sine peccato faciat, vnde ex illo loco non potest colligi ea rem commissum esse vel peccatum veniale. vide Gregorium Homilia 3. in Ezech. sub finem, vbi paulo alter habetur quam hic à Gratiano refertur, nec dicit Gregorius tales cadere absolutè, sed cadere in deliberatione. Hi, inquit, ante iudicia humana factare evidenter in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderant in deliberatione: nimis quia

recesserunt animo à perfectioribus, quae proposuerant: qui excessus abfque peccato fieri potest, quando aliqua causa subest.

Ex dictis patet, cùm multa in voto reperiantur, *Multa in voto con-*

current.

DUBITATIO V.

Cuius virtutis actus sit votum.

D. Thomas art. 5.

Ratio dubitandi est, quia fiunt etiam vota Sanctis, quorum cultus non procedit à virtute religionis, sed dulie vel obseruantia. Deinde votum est promissio quedam: promissio autem vel est gratuita vel remuneratoria: promissio gratuita est actus liberalitatis, remuneratoria vero est actus gratitudinis.

Respondeo, & Dico Primo, Votum esse actum *Eft adiutoria religionis, quando fit Deo. Probatur, Quia non ob duas causas.* promittimus aliquid Deo, ut ipse inde aliqua virtus proueniat, sicut promittimus homini: sed ut ipsum honoremus, & vt nos ipsos reuerentiā Dei in bono firmemus, utrumque autem ad religionis virtutem pertinet. Confir. Quia omnis laus, qua est in actu vouendi, ex hisce duabus causis pendet: id est enim laudabile est vouere, quia laudabile est Deum honorare, & eius reuerentiā se in bono proprio firmare.

Sed obscurum est quomodo Deus voto hono- *Quo modo Deus hono-*

retur.

retur, præsertim si id quod vovetur, non sit cultus

aliquis, v.g. sacrificium, hymnus, &c. sed aliquid

ad alias virtutes pertinens, vt paupertas, castitas,

obedientia, ieunium, & similia, quæ nullum cul-

tum præ se ferunt.

Respond. Honoratur Deus ipso actu vouendi,

Primo, Quia vovens, suo facto significat, ipsum

habere cognitionem & prouidentiam rerum hu-

manarum. Secundo, Testatur ipsum esse ad quem

in angustiis sit confugiendum, & qui solus possit

opem ferre. Tertio, Quia vovens illa ipsa re quam

vovet, intendit illum honorare, & gratum obse-

quium exhibere: et si enim illa res non sit naturâ

suâ cultus aliquis, strictè accepto hoc nomine; et

quod per se non significet diuinam excellentiam,

& nostram subiectiōnem; tamen in cultum assu-

mi à nobis potest: nam possumus eo animo facere,

vt testemur nostram seruitutem & diuinum prin-

cipatum. Sic ieunium eti nullum cultum præ se

ferat, tamen alium potest ad honorandum Deum

vel Sanctum aliquem, & ab omnibus genibus in

hunc finem vlturpat. Idem dicendum de pau-

petate, castitate, & obedientia: quidquid enim

icitur esse gratum Numini, potest fieri ad eius ho-

norem, & ad suam testandam seruitutem. nam eti

si facere aliquid præcisè quia gratum alteri, poti-

us sit benevolentia quam honoris: tamen si fa-

cies hoc totum ut sic declareas tuum obsequium &

affectionum seruitur erga alterum, est honor &

cultus. Vnde olim virgines Vestales in honorem

Vesta seruabant virginitatem; idque ea mente fa-

ctum, erat idolatria. Quarto, Quia vovens in-

tendit se reuerentiā Dei in bono proposito con-

firmare. Inter ceteras enim causas ideo vovemus

Deo

Deo paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam, ut memores cui promiserimus, eius reverentia non deflectamus a proposito, continere autem se in bono reverentiā Dei, est religionis: eiusdem enim virtus est, facere aliquid affectu honorandi alterius, vel soluendi promissi; & abstine-re a contrario, timore in honorandi vel promissi violandi. quare cum illud sit ex virtute religionis, etiam hoc ex eadem virtute procedit.

Dico Secundo, Etiam quando votum fit Sanctis, est actus religionis.

²⁷ *Dupliciter vota San-tis sunt.* Vbi Nota, dupliciter intelligi posse vota fieri Sanctis, vel Prælatis. Primò, Quia sunt coram ipsis vel tamquam testibus ad maiorem reverentiam, vel tamquam patronis, quibus cupimus ea cordi esse, ut gratiam ad exequenda promissa nobis impetrerem. Sic intelligi potest formula illa multis Religionibus usitata, *Promitto Deo, B. Vir-gini, B. Augustino, vel B. Francisco paupertate, &c.* Hoc etiam modo est actus religionis; quia principaliter ad Deum dirigitur, quamvis qua parte etiam Sancti honorantur, possit esse actus obser-vantiae, seu dulie supernaturalis.

Secundò, Ut promissio ipsi facta cadat sub votum materialiter; ita ut voveamus Deo, nos præstituros quod Sanctis vel Prælatis promissimus.

Quo modo Prælati voveantur obediencia. Ita D. Thomas art. 5. ad 3. Sic intelligendum votum, quo Prælato voveamus obedienciam: per illud enim voveamus Deo nos id præstituros, quod Prælato promissimus. unde tale votum respectu Prælati non habet rationem voti, sed nuda promissio, qua inducit erga illum obligationem fidelitatis; respectu autem Dei habet rationem voti. Simili modo accipiendum videtur votum, quo calicem vel statuam voveamus B. Virginis, B. Benedicto, vel alteri Sanctorum: centemur enim vovere Deo (quem in Sanctis agnoscimus) nos præstituros quod ipsi promissimus, itaque respectu Dei est votum; respectu Sanctorum promissio honoraria, pertinens ad cultum dulie. Sic cum quis vovet Deo, B. Virginis, B. Francisco, &c. paupertatem, castitatem, obedientiam; respectu Dei propriè est votum, respectu Sanctorum potest esse honoraria promissio.

Possunt addi tertius modus, ut dicantur fieri Sanctis, quia sunt Deo in Sanctis: sed hic modus non differt a secundo.

Petet, Cuius potentia actus est votum?

²⁸ *Etsi opus intellectus practici.* Respondeo, Etsi actum intellectus practici, ut recte D. Thomas art. 1. quia est locutio quædam præctica, qua quis scilicet alteri obligari, sicut enim præceptum & oratio sunt locutiones quædam, quibus alterum obligamus, vel mouemus ad aliquid; ita votum est locutio quædam interna vel externa, qua nos ipsos obligamus alteri. Confit. Quia votum est promissio quædam: at qui promissio non est solum volitio se obligandi, aut iudicium, sed locutio practica, cuius signum est, quod quantumvis velut aliquis se obligare, & indicet id expedire, non tamen obligetur quædiu in his actibus sicut: sed oportet ut vterius locutione quædam in alterum directa promittat. Haec tamen locutio supponit voluntatem se obligandi, estque veluti instrumentum voluntatis, si-ne quo non potest sibi obligationem imponere; sicut nec alteri absque præcepto. Simili modo non potest alteri aliquid donare absque locutione, vel simili signo practico.

DUBITATIO VI.

De divisione votorum.

Multe reperiuntur divisiones voti apud Doctores.

Primò, Diuidunt in votum commune, & singulari. Ita Magister in 4. d. 38. D. Thomas, Durandus, Richardus, & alij, eadem distinctione.

Votum commune vocant actum illum, quo quis in Baptismo profiteretur se renuntiare satanæ, & adhaerere Christo: hic enim est omnibus communis; & quia est de rebus necessariis ad salutem, vocant etiam votum *necessitatis*. sed hic actus ^{1. In vo-tum com-mune & singulare.} *sponsio quædaueria* non est propriè votum, vi iidem docent, & sit in Ba-pismo, non est verum.

Votum singulari vocant actum illum, quo quis in Baptismo baptizandi nulla continetur promissio; solum enim dicit, *abrenuntio, credo, volo*, tum quia alioquin omne peccatum Christiani esset sacramentum, & duplice malitia seu peccati speciem contineret; quod est contra communem hominum sensum. Denique verum votum de talibus rebus ne in Sacramento quidem pœnitentia exigendum est; esset enim pœnitenti nouis laqueus, & causa gravioris lapsus absque necessitate. multo igitur minus exigendum in Baptismo.

Vocatur tamen interdum à Patribus & Doctribus *votum, sponsio, promissio*; quia speciem promissionis habet. dum enim petitur a baptizando, Abrenuntias satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius: respondet, *Abrenuntio*: ubi viderur promittere; verum quia non intendit sibi nouam obligationem imponere; sed solum declarat se acceptare eam, qua Iure diuino inest, non est propriè votum aut promissio. Sic dum rogamus pœnitentem an promittat emendationem, non exigimus votum, sed simplicem promissionis formam, (qua non inducit nouum vinculum, saltem sub mortali obligans) ut eo modo firmius propositum concipiat, & melius declarat se acceptare, sibique cordi fore obligati-nem, quæ ante inerat.

Votum singulari vocant, quod quisque pro suo arbitrio de rebus non necessariis concipit: unde etiam dicitur votum voluntatis. quamvis reuerà hoc genus voti etiam ad res præceptas pertinere possit, quatenus nostro arbitrio subsunt, ut dictum est.

Secundò, Diuiditur votum in *conditionale, &c. abolutum*. Different autem haec vota tripliciter. ³⁰ *In condi-tionali & abso-lutu-m*. Primò, quod votum conditionale constet parti-^{2. In condi-tionali & abso-lutu-m} cula, vel æquipollente, qua habet vim conditio-nis; abolutum vero minimè. quod si hoc inter-dictrinem continet talem particularē; ea non habet vim *inter hac conditionis, sed temporis; & idem valet, quod vota quando*; ut cum quis ita vovet, Voueo me reli-cturum sæculum, si mater obierit.

Secundò, Votum conditionale suspendit obli-gationem exequendi voti usque ad eventum con-ditionis; qua si non euenerit, penitus evanescit, parit tamen statim obligationem expectandi e-ventum conditionis, (sicut omnes alij contra factus conditionales) à qua inuita parte non potes libera-ri. Votum abolutum non suspendit, sed statim omnem suam obligationem imponit: quamvis interdum executionem ipsam in diem certum vel incertum differat: ut, Voueo me Religionem in-gresurum, cum mater obierit.